De
Principio, progreſſu, præcipuis Actis & fine

COLLOQVII RATISBO-NENSIS,

Inter ſinceros Auguſtanæ Cõ-
feſſionis Theologos & Gieſuitas, à 18. Novemb.
usq; ad 27. eiusdem, Anno præcedente
habiti

ORATIO:

Hiſtorica fide
In Illuſtris Pædagogij Stetinenſis
Auditorio magno,
IV. Die Februarij,
Hora VIII. matutina
publicè ſolemniterq; recitata
à

DANIELE CRAMERO,

SS. Theologiæ D. Collegiatæ Eccleſiæ & Pæda-
gogij Stetinenſis ad D. Mariæ Paſtore
& Profeſſore.

STETINI typis Ioachimi Rhetij expreſſa,
ANNO cIↄ. Iↄ. CII.

Jlluſtriſsimo Principi ac Domino,

D. PHILIPPO SECVNDO:

BVGISLAVI Filio,
PHILIPPI I. nepoti,
GEORGII pronepoti,
BVGISLAVI Magni abnepoti:
Patris exemplo; Avi ſpeculo; Proavi æmulo; Abavi ſectatori, Duci Stetini, Pomeraniæ, Caſſu- biorum, Vandalorumq́; Principi Rugiæ, Comiti Gutzcoviæ, Domino in Lebenburg & Butovv; Domino meo Clementiſſimo.

D. D. D.

EST hic Actus Colloquij Ratisbonenſis, Illuſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime, eſt, inquam, in quo noſtræ partis præſtantiſsimi Theologi, contra Gehſuitarum cohortem ſteterunt, feliciterq́; pro gloria nominis divini & Evangelicæ Eccleſiæ dimicârunt, admodum illuſtris, quē ſæpe cogitare, & nunquam ab animo deponere, tam

utile eſt, quam neceſſarium. Inprimis vero magni momenti eſt, ſi ſtudioſæ juventuti probè & imprimatur, & in cor ipſum ferreo, ſi poſſet fieri ſtylo inſcribatur inſculpaturq́ꝫ. Quam enim infinitis artiũ cuniculis, circumeant juventutem literariam hi hoſtes, quam blanda Sirenum voce alliciant, quã miſerè ſeducant, etiam hæc patria noſtra, ex qua nonnullos ad ſe pertraxerunt, proh dolor, loquitur: adeò ut in unicam juventutis Germanicæ perniciem excretus hic Ordo videatur: quod haud obſcurè etiam ipſorummet Regulæ & Bullæ innuunt.

Ne igitur meo loco, quo me Deus (indignum fateor) conſtituit, deeſſem, volui in gratiam & emolumentum noſtri Pædagogij (quod tu Illuſtriſsime Princeps, & vos cæteri Pomeraniæ Duces, totiusq́ꝫ Provinciæ incolæ, precioſiſsimum habetis κειμήλιον*) Acta iſtius colloquij, prout à certis & varijs Autoribus et auditoribus ad meas manus pervenerunt, brevi Narratione complecti, & Oratione publicè perſequi; iſthoc fine, ut juventus noſtra, inter cætera hoc ſibi Apophthegma de Gehſuitis conciperet, quod Antonius Arnaldus Juriſconſultus, & Advocatus Curiæ ſupremæ Gallorum, in ſua Philippica, nomine Univerſitatis Pariſienſis, de inſtitutione & Scholis Gehſuitarum (vir pontificiæ Religionis) his effert*

ver-

verbis: A Dipſade percuſſi, calida incenduntur tabe viſcera, vi ejus veneni, quod ſe cunctis diſperſit venis: ebibito itaq; fuſoq; circa vitalia humore, æger aſſiduo bibit, nec tamen relevatur: Eodem modo, qui ſemel admiſerunt peſtiferam Inſtitutionem Gehſuitarum, perpetua inflammantur ſiti rerũ novandarũ, ſupereſtq; eis rabidus niſus promovendi Dominationem Hiſpanicam. Sic ille. Vt igitur hæc ſententia, uti dixi, Iuventuti noſtræ inſideret altius, (altius enim præcepta deſcendunt, quæ teneris animis imprimuntur) & volui & debui Gehſuitarum Ideam ex Relationibus Actorum Colloquij nonnihil depingere, & juventuti ob oculos ponere. Ex quorum attenta meditatione, patebit ad oculum ipſiſſima Gehſuitarum Idea, imò larva, puta quod ſint mali Grammatici aut Linguiſtæ, deinde quod ſint in vita ſcurræ, Deniq; quod in ſacra ſcriptura ſint plus quam infantes, imò excæcatiſſimi. De Relationum fide, non eſt quod quispiam dubitet, nituntur enim variorum teſtium reſcriptis & teſtimonio, & inprimis ipſo Protocollo, quod Hyperaſpiſtenfacio rei à me narratæ, cui me ultrò ſubmitto, ubi lucem aſpexerit.

Ne autem Illuſtriſſima tua Celſitudo, aut ullus alius Lector, in dubio relinquatur, cur Adverſarios

iſtos non ſolito more Jeſuitas, ſed Gieſuitas, aut Gehſuitas, in tota hac mea Oratione ſcripſerim appellârimq́ue, reddenda mihi ejus rei eſt ratio. Videbam ego hos Monachos, ubiq́ue ædificijs, libris, Sigillis, epiſtolis ſuis paßim affigere circumquaque flammatum & ignitum ſignum, **IHS.** *Hærebam ego ſæpe & cogitabam mecum, quid ſibi tam terribili teſſera vellent: Nec ignorabam tamen, quod eo ipſo Sacroſanctum JESV nomen, ex quo ordinem ſuum, ut olim Ieſuatæ, falſò tamen nominant, exprimere in pallium Hypocriſeos ſuæ vellent. Sed hoc mihi obſtabat, quod Divinum JESV nomen cum aſpiratione rectè ſcribi aut legi nunquam poſſe, certò mihi habebam perſuaſum: Et non terrorem & flammas hoc nomen, ſed pacem & ſalutem tantum præ ſe ferre. Quomodo ergo de nomine JESV id acciperem? quomodo hos Monachos Ieſuitas appellarem? Præterea vellicabat mihi aurem Guilielmus Rodingus Haſſus, in oratione ſua contra Gehſuitarũ ſcholas habita, in qua admonebat omnes Chriſtianos, cum ſanctius & divinius nihil ſit, in cælo & in terra, quam nomen Domini noſtri JESV CHRISTI, profanari toties hoc Sacroſanctum nomen, quoties hi abdictißimi JESV hoſtes hoc nomine appellarentur. Videbam etiam à multis propte-*

propterea vel ſuitas, vel Eſavitas dictos eſſe. Quibus rationibus perculſus & in bivium tractus, coactus fui tandem, altius rem perſequi, & de teſſera nominis, & de origine aliter cogitare, incidebamq; ſtatim in Gieſi aut Gehaſi, Prophetæ Eliſæi, Simoniacum & leproſum famulum, ex quo, ſiquidem nomen & omen incideret, literis tantum, non ſono mutatis, dicendos eſſe omnino decernebam, quod his verſibus ſic alibi.

Aut Gieſi, aut Eſau nomen dat fratribus, offam
Hic capit, ille aurum, vendit uterq; Deum.
Ergo quid mirum, ſi captent juſcula & aurum
Undiq;, dum vendunt jura, Deum, atq; polum?

Habes Illuſtriſsime princeps ſententiam meam: Nunc ad Orationem ipſam revertor: Venit illa Illuſtriſsime Princeps ad te, pietatis vindicem, ſophiſtarum hoſtem, literarum columen, juris cuſtodem, rerumq; omnium ſcibilium Sectatorem ſtrenuum, Doctorum virorum patronum, & per me implorat Celſitudinis tuæ patrocinium excelſum. Metuit enim ſibi nonnihil de rodentibus Gieſuitarum dentibus, qui quicquid contra eos editur, tantis calumnijs proſcindere, maculare, lacerare ſolent, ut Eques, pontificius, Polonus rectè in ſuæ Actionis cõtra Gehſuitas Apologia dixerit: Dubitari de ijs merito,

» rito, quando calumniari incipiunt, *An Diabolus*
» agat Gieſuitas, an contra Gieſuitæ agant Diabolum. Sed hoc habet oratio mea ſolatij, quod verba Sycophantarum non lædant, ſi quis contemnat: ſufficit ſi Illuſtriſſime Princeps tibi, veritati, Eccleſiæ, Divino honori, Oratio mea inſerviat & ſatisfaciat, Cui ſoli hanc opellam, ut & illam quam nuper contra Scharga ſanguinolentam concionem emiſi, voveo, ſacro, dico. Quo præſidio premi poterit Veritas non opprimi. Hiſce T. Celſ. æterno Deo commẽdo, & rogo deniq;, ut hanc Orationem meam æqui boniq; facere, inq; inclutum tuum patrocinium contra omnes malevolos ſuſcipere non dedigneris. Dabantur Stetini ex Muſæo noſtro, Anno 1602. VII. Kalend. Martij.

V. Celſ:

Subjectiſſ.

Daniel Cramerus, D.

DE

DE RATISBONENSI COLLOquio proſperè Dei benignitate nuper ſinito, dicturus, in Hectorem incido, qui apud Euripidem, Rheſum Thracum Ducem, tardius ad bellum venientem, his verbis ſalse excipiebat;

Σύμμαχος μὲν οὐ, ξένος δὲ πρὸς τράπεζαν,

Socius non quidem belli fuiſti, ad menſam tamen accedis hoſpes. Sic enim mihi quiſpiam occinere poſſet, quod ego, qui ſocius belli, de quo dicturus ſum, non fuerim, ad menſam tamen accumbere cum reliquis, & una frui bonis doniſq; hoſti detractis, non erubeſcam. Cui quid reponam rectius, quam quod Rheſus ille reddebat: ἀλλ' ὕστερον μὲν ἦλθον, ἐν καιρῷ δ' ὅμως: *Serò quidem, aſt in tempore accedo tamen.*

Aut quod Plato Socrati: πολέμου καὶ μάχης φασὶ χρῆναι οὕτω μεταλαγχάνειν. *Ajunt ad pugnæ munia — ſerò venire oportere, etiam re peracta.* Nam quis neſcit conflictu peracto, tum deniq; opus eſſe nonnullis, qui vel colligant prædas, vel qui legant fragmenta haſtarum hoſtilium, vel qui Epulas odaſq; victoriales (quas ἐπινίκια uno nomine veteres appellabant) inſtruant; vel qui Rhedam triumphalem ſequantur comites. Vt ut igitur in harenam deſcenderint Theologi noſtri ſine nobis, non tamen ſine nobis harena cedent: quin congratulabimur, & be-

In Gorgia.

Epinicia quid?

Lib. 8.c. 5. lib.22.c.4.

& benè precabimur potius, hæderam, verbenas, & nulla nõ alia dona offerentes ijs, qui feliciter ex hac acie reverſi ſunt. Quem morem apud Gentiles in uſu fuiſſe, Plinius autor eſt. In ſancto DEi populo ſimile quid uſurpatum eſſe, quis eſt qui neſciat?

Geneſ. 14 verſ. 17.

Et ut ex multis pauca attexam, Abrahamo, cum is bonis avibus è pugna rediret, Lothumq; liberâſſet ex manibus Chodorlahomor Regis Ælamitarum, nonne Rex Sodomorum gratulabundus exijt in occurſum? Nonne eidem Melchiſedecus Sacerdos proceſsit obviam? nonne obtulit panem & vinum dono? nonne benedixit victori? Chodorlahomor Regulus nomen habet in ſacra lingua à Generatione ſervitutis, aut à trocho manipuli: habes & hic Regulos Chodorlahomor, Gehſuitas, abſolutiſsimam Servitutis quam Papę ſerviunt generationẽ: aut (ſi alterum Etymon malis,) quis manipulus rotundior & volubilior hiſce erronibus & Trochis eſt? gratulemur ergo & noſtris Victoribus è pugna Regulorum Chodorlahomor reducibus.

1. Sam.18.

Quid? quod Sauli & Davide è pugna reverſis, egrediebantur fœminæ, de univerſis urbibus Iſraël obviam, cantantes chorosq; ducentes in occurſum triumphantium de proſtrato Goliathe? Errat enim, errat, inquio, qui hunc conflictum Ratisbonenſem, vel minorem vel leviorem Goliathis ſtrage cenſeat. Nequaquam enim minor faſtus, minor apparatus, minor maledicentia in Gehſuitis hîc, quàm in Goliathe illîc: nec major virtus in Theologis noſtris, quàm in Davide. Ac ſi ſanè Adverſarij Goliathes revera non erant, videri tamen tales omninò volebant, & à caſtris Iſrael formidari. Sicq; illuſtris fuit Davidica pugna ideò, quod in ea de ſalute Regni Iſraëlitici agebatur, certè quis dixerit hanc Ratis-

Ratisbonenſem inferiorem: in qua minimè fuit certatū de ſucula Meneclis, aut de tribus capellis, quod ajunt, ſed de immota veritate αὐ]οπιςία & αὐ]αρχεία Sacroſanctæ ſcripturæ, in qua Cardo æternæ noſtræ ſalutis convertitur.

Decet igitur hoc nomine nos omnes in occurſum ire Athletis hiſce noſtris, ex militia Dei feliciter reverſis, decet gratulari, benè ominari, benè præcari, Deoq; immortali immortales ſolvere gratias, quod pugnæ hujus aleam, tam paternè fortunaverit, ut nihil deceſsiſſe, ſed multum luminis acceſsiſſe veritati Evangelicæ, Sol hic meridianus teſtis ſit locuples. Et ut hæc Gratulatio omnium Orthodoxorum eſt, ita & noſtrûm cum primis erit. Nam vos, Auditores, qui huc confluxiſtis, non tantum teſtes eſſe poteſtis, quod privatim & publicè auſpicium hujus Colloquij ſoleñiter Deo pijs precib⁹ commiſerimus hactén⁹, ſed & collaboratores nobis vosmetipſi fuiſtis, qui ardentib⁹ votis veſtris, nos ad Deum orando in Ecclesiæ cætu, pro fauſto ſucceſſu hujus pij inſtituti, juviſtis ſolenniter. Quid ergo convenientius eſt, quid æqui⁹, quàm, uti conjunximus antea preces, pro hoc colloquio, ita ſuavi recordatione exhauſti huj⁹ laboris, nosmet invicē viciſsim ad debitā Gratiarum actionē exacuere & ſtimulare? Hęc unica eſt cauſa, unicū caput (ſi quis neſciat) cur in hanc cathedrā conſcēdere, & de felici reditu noſtrorum Theologorum, rebusq; nonnullis in colloquio benè geſtis ex hoc loco dicere, decreverim ego. Quod meū inſtitutū nemo improbabit opinor, niſi qui ex toto aſſe eſt improbus. Nam ſi Chriſtianū eſt, ut eſt, recolligere beneficia à Deo nobis præſtita, idcircò etiam præſens beneficium pro tam felici decurſu hujus Theologici conventus agnoſcere & celebrare, non niſi Chriſtianum erit | Scop⁹ huj⁹ Orationis.

Addo quod & per ſe ſuave ſit, perutile ſit, res novas, ut in rei veritate actæ ſunt, cognoſcere, ſcire, & in mentem altius demittere.

Quo animo, Reverendi, Nobiliſsimi, Ampliſsimi, Conſultiſsimi, Excellentiſsimi, Prudentiſsimi, Humaniſsimi Viri, Domini, collegæ, amici honorandi, et tu juventus ornatiſsima, ſi mihi hac hora affueritis, ut omnes vos adeſſe in hac ſelectiſsima corona, non opinor, ſed cõfido, audietis & quæ vera & quæ mira, & quæ dia & quæ pia, & quæ gravia & quæ ſuavia vobis erunt auditu; vos præſentibus auribus & amimis benignè attendite.

PRoinde quod primum eſt omniũ, cum Colloquij hujus tantum duæ ſint partes, dextra & ſiniſtra, Lutherana & Gehſuitica, ab utra quæſo parte ebullijt initio hic pruritus diſputandi? Non dicam nunc ex abrupto ſtatim Autorem, ſed prius actus nonnullos, ex quibus tam facilè colligetis autorem, quam facilè vobis digitatim numerando ad pollicem pertingere eſt, recitabo. Agite revocate vobis in mentem, Gehſuitam illum Anglum, qui ſe *Edmundum Campianum* nominabat, is, ut nôſtis, anno Octogeſimo poſt ſeſquimilleſimum à Nato Chriſto, ex Italia, atq; è volutabro Gymnaſij Romani in Angliam contendens, tantos ſpiritus ſibi, tantaq; cornua, aut criſtas potius, ſumſerat, ut ipſe ſolus & unus, univerſis & ſingulis Academiarum Anglicarum Oxonij & Cantabrigiæ Doctoribus, ipſe ſolus & unus, inquam, imberbis, Tyro, Iuvenis, apertum bellum indiceret, & incredibili non dico arrogantia, non dico petulantia, nõ dico incontinentia, ſed amentia & furore omnes Adverſarios, ſi qui in toto Regno auderent congredi, in harenam provocaret. Video, auditores, ex ſupercilio veſtro,

[Margin: Campiani impudẽtia. / Anno 1580]

vo-

vos ſtatuere, non poſſe in hominem Iuvenem tantam cadere inſaniam. *In Campianum* cecidit profectò, audite verba ipſius, cum ſic ſcribebat: *Hoc ſi præſtitero, cœlos eſſe, Divos eſſe, fidem eſſe, Chriſtum eſſe, cauſam obtinui. Hîc ego non ſim animoſus? Equidem occidi poſſum,* SVPERARI NON POSSVM. Huj inſolentem arrogantiam, arrogantemq; inſolentiam unius Gehſuitici Diſcipuli, qui Gigantis inſtar, contra omnes totius Regni Anglici Doctores, imò cōtra ipſum cœlum ſpirabat, ſpuebat, ſpumabat. Sed reportavit Campianus, ut erat Campianus, Campanellas & tintinnabula, ſtulticiæ ſuæ indices, à Meridutho, Hanmero, VVitackero Antagoniſtis, Theologis Angliæ celeberrimis. Cujus Thraſonis mentionem ideò feci, ut tanquam in ſpeculo Diſputacitatem, aut ſcabioſum altercandi & cum quovis confligendi pruritum, initio ſtatim contemplaremini. Porrò recens apud vos adhuc eſt memoria, Badenſis illius colloquij, Decennio poſt ab omniū Thraſonum Principe Piſtorio per Apoſtaſiam famoſo, inchoati, qui ſimili ambitione D. Iacobum Andreæ & D. Iacobum Herbrandum Tubingenſis Academiæ lumina, cum cæteris, provocavit, verba Epiſtolæ ipſius ſic ſonant: *Nulla eſt pars controverſiæ, quam EGo per DEi gratiam (mirum quod hoc addat) pro nobis, & contra vos, ex ſola ſcriptura defendere non cogito.* Vbi tria auditis, tum quod unus Piſtorius pro tota Eccleſia, tum quod unus Piſtorius adverſus omnes, qui contra Pontificem ſtamus, tum quod in omnibus Controverſiarum partibus ſit pugnaturus. Sed novum non eſt vaſa vacua multum tinnire, ut et de Piſtoriano tiñitu ſatis te-

Piſtorij impudentia. An. 1590.

ſtantur

Omnium Gieſuit: impudẽtia.

ſtantur Acta biduani iſtius,quod dixi,colloquij. His adijcio tam perfrictæ frontis, tantæ confidentiæ hos Petauriſtas eſſe, ut quemvis ad Duellum Theologicum, non privatim ſed & publicè, in plateis (uti Phariſæi qui in plateis orabant, aut ut Sophiſtæ Græci quibꝰ ſolenne fuit Agyrtarum more per compita philoſophari) provacare non erubeſcant, quod Viennæ, Cracovij, Lublini, Thorunij, in Belgico & alibi in Germania paſsim toto fieri die, ex plerisq; quibꝰ hoc accidit compertũ habeo teſtibus. Quibus breviter pręmiſsis,quæro jam ex vobis ipſis, Auditores, utram partem putetis ambitioſè petijſſe, deſiderâſſe, urſiſſe hoc Ratisbonenſe Colloquium? Dicite: nullo hic opus eſt Oedipo: quivis Davus Gehſuitas id feciſſe conjectabit præproperè,prę ea qua ardent ambitione,φιλαυτίᾳ & ſpe triumphi,quem ante victoriam canebant,aurea. Neq; ſic ſe rem habere ancipiti duntaxat conjectura colligere eſt, proſtant in media luce quorundam Papicolarũ, proximo hoc biennio typis expreſſa ſcripta, quibꝰ Thraſonicè jactitant, ſe jam biennium laborare, ut nationale Colloquium celebretur, noſtrosq; ne audere quidem ad fulmen ambitioſè obtruſi hujus Colloquij hiſcere,nedum congredi. Et hoc ipſum Ratisbonenſe à Bavaricis primum Gehſuitis poſtulatum, Epiſtola Philippi Ludovici Palatini ad Bavarum, quam ſervo, teſtatur.

Diſputacitas Geſuit: cauſa Colloq.

Nimirum breve,oportunũ,calidum hoc erat de Colloquio inſtituendo conſiliũ, in quo unica ſpes & ſalus ſita videbatur totius Regni Antichriſtiani. Quis ignorat, quã nihil reliquerint intentatũ hoſtes,quã multa ſint moliti,quam multas tentarint vias ad opprimendum Evangelium? Pugnârant tormentario, pugnârant atramentario, pulvere tumultus excitârant, proditones varias & ſicari-

Facinora Gieſuit:

ſicarias, jugulum & dentes Regum, cor Reginarum, gulam Principum petiverant ſæpe, exciderant auſis ſæpius. Claſſes inſtruxerant, triennales terq; quaterq; , Ligam ligârant, Inquiſitionem Hiſpanicã ſerro & igni promulgârant, exquiſita tormenta excogitârant: profecerant Ieſu obſtante nihil. Concilia coëgerant, Anathematum fulmina emiſerant, ſed quæ multis Regibus & Regnis bruta accipiebantur. Collegia Pontificum Gregorij XIII. imprimis profuſa prodigalitate ampliſsimè exſtruxerãt, emendicârant diſcipulos, gratis docuerant, ſed ſolis ingratis, teneram juventutem allexerant, plagio abduxerant, multorum diſcipulorum animos ſibi ſimiles fecerant, clamoſos, rixoſos, periuros, Hypocrytas, Sophiſtas, emiſſarios, exploratores: quid profecerant? nihil. Proinde conſtituebant apud ſe, *flectere* cum non poſſent *Superos Acheronta movere*. Quod etſi alias abundè præſtitiſſent hactenus, nunc tamen Colloquij publici Monomachia gravius tentandum, in ſatis eſſe duxerunt: Sic tamen, ut ſi noſtri ad Colloquium venire, (quod ipſi anhelantes ſperabant,) recuſarent, vincerent prius quam pugnaſſent.

Sed, inquies, nonne & antehac Nationale Colloquium fuerat inſtitutum? Fuerat ſanè: meminiſtis enim ejus quod VVormatiæ Ãno 1546 habitum, poſtea abruptum, & Ratisbonã ſine fructu translatũ eſt; meminiſtis etiã, ejus quod duodecim annis poſt ibidem fieri cœpit: Sed Gehſuitę non interfuerant Collocutores. Nam non ſatis eſt his Socijs, ut ſe nobis hoſtib⁹ ſuis excelſè præferant, quin & ſuper reliquos ſuæ religionis Ordines tam ſuperciliosè ſe extollunt, ut niſi quod ipſi faciũt, nihil rectũ putent, ſibiq; ipſis de ſemetipſis ſtultè perſuadeãt, ſe alios ordines

Colloquiũ Ratisbon: vetus.

An. 1558.

Suis præferũt ſe Gieſuitæ.

Part:hyem: pag. 105.

ordines omnes perfectitudine & induſtria vincere. Hoc ut probem illi ipſi mihi erunt judices. Sic enim Thomas Stapletonus Th. Doctor, & Regius Profeſſor Lovanij in Promptuario ſuo:

De illa Societate (Gieſuitica) verum eſt quod ante quadringentos annos de ea ſcripſiſſe videtur Ioachimus Abbas his verbis: *Inſurget una nova religio ſanctiſſima, quæ erit libera & ſpiritualis, in qua Romani Pontifices, potiti pace Eccleſiæ ſe continebunt. Quã religionem & ordinem Deus ſuper omnes alias diliget, quia perfectio illius vincet omnes alias aliorum Ordinum.* Quod idem, buccinator Gieſuitarum Stevarcius, Profeſſor Ingolſtadienſis ſic effert:

In Apolog. pro Ieſuit.

Lutheranos cæterorum Ordinum religioſos Sacerdotes, alioſq; Doctores Catholicos non ita inſectari, ſicut Societatem Gehſuitarum, niſi quod videamus eam nulla habita ratione proprij commodi, animis ac ſtudijs inter ſe, & cum alijs graviſſimis Doctiſſimiſq; viris conjunctis, etiam cum periculo vitæ Catholicam religionem defendere. Audin'? quomodo tacitè & καθ' ὑπόνοιαν pũgat, mordeat, urat reliquos Ordines, præ quibus Gehſuitæ hoc habeant peculiare, imò ſingulare, ut ſpretis proprijs commodis etiam cum periculo vitę pro Cacolyca Religione ſua luctentur. Vt quò acrius ſit odium noſtrum in ipſos, tantò ſublimius ſit ſtudium ipſorũ præ cæteris Ordinibus contra nos. Etſi ergo cum reliquis Pontificię religionis Propugnatorib⁹, colloquia ſæpe eſſent habita, putarunt tamen Gieſuitæ

fabulam

ſabulam ideò malè actam hactenus, quod à ſe Hiſtrionib⁹ acta non eſſet. *His his committas ſi quid rectè curatum velis.* Rem ergò Colloquij tandem, tam ſtrenuè agunt, ut noſtri nō niſi cum ſumma religionis jactura, & gloriæ Dei decremento harenam declinare debuerint potuerintve.

Fuerunt non diffiteor cauſæ ſat arduæ, ſat multæ, quæ congreſſum cum hiſce Sycophantis diſſuadebant, nō tantum quod Ariſtoteles hoc Conſilij det Diſputanti, ὀυχ ἅπαντι διαλεκτέον, ὀυδὲ πρὸς τόν τυχόντα γυμναστέον, *non cum quovis temerè congrediendum*, ſed quod intus & in cute noſtri Gehſuitas probè noſſent. Verſabatur ob oculos quod abſolutè jurata eſſent Pontificis mancipia, qui ad hunc unicum ſcopũ collimarent, ut Cathedra Eccleſię Romanæ ſarta tecta ſit, ſive ſtet ſive cadat, totum Univerſi theatrum. O diſſonam Cantilenam! Noſtri in Colloquio gloriam Chriſti defenſuri, illi gloriam Antichriſti: noſtri Veritatem, illi mendacia: noſtri errores detecturi, illi incruſtaturi: noſtri luſciniæ cantum, iſti picarum ſcreatum erant edituri. Interim & mores horum Chamæleontum in Diſputando mutabiles non nemini erant in propatulo, illuſiones, alluſiones, eliſiones, eluſiones. Vis fidem faciam? faciam non meis, ſed ipſius Pontificij, Equitis cujusdam Poloni, verbis fidem luculenter, qui quomodo Lublini contra Antitrinitarios & Anabaptiſtas clamârint potius, quàm dimicârint, tam verè quam eleganter recenſet. Sic enim ille: *Provocarunt Gehſuitæ Lublini ſuperiori anno Antitrinitarios & Anabaptiſtas ad Diſputandum: canebant triumphum ante victoriam: in ea diſputatione, nihil*

Cauſæ cur nō diſput: cũ Gieſuit:

8. Topic. cap. ult.

Forma Diſputandi Gieſuitica.

An. 1589.

præter

„ *præter redundantem quandam verborum volubili-*
„ *tatem & tragicos clamores, quibus in clamoribus*
„ *omnes Gieſuiticæ laudes poſitæ ſunt, præſtiterunt: et*
„ *tantummodò plebis, & anicularum & colluſorum*
„ *atq; ſuorum compranſorum approbationem conſecu-*
„ *ti ſunt, & cum rationum vi Antitrinitarios vince-*
„ *re debuerint: & eam victoriam antequam certatũ*
„ *eſſet literarum monumentis tradiderint: eum exitũ*
„ *ille triumphus ante victoriam decantatus habuit, ut*
„ *Ariani minis, convitijs, terroribus, clamoribus fue-*
„ *rint ejecti & primanus quidam illorum hominum*
„ *Niemojevius etiam verbera ſenſerit.* Sic ille Ponti-
ficius de Diſputandi forma Gheſuitica. Quis ergò quis quæſo hominum cum illis Furijs Colloquium inire geſtiat; niſi cui volupe ſit cum inſanis inſanire?

Oppugnavit tamen animos noſtrorum Principum Doctorumq́; & expugnavit, Amor Dei, ardor Veritatis, Zelus Eccleſiæ, ex cujus inſtinctu quidvis potius perpeti decreverant, quam hoſti vel terga dediſſe vel ſilentio Eccleſiæ ſalutẽ prodidiſſe ulli velle videri. Alea jacta eſt: coëundum eſt, diſputandum eſt; pugnandum eſt.

Promotores Colloquij.

Salvete mihi ô ſalvete Principes Sereniſsimi Illuſtriſſimi, tu Dux MAXIMILIANE Palatine Rheni Bavariæ utriusq; Dux, tu Dux PHILIPPE LUDOVICE Palatine Rheni, Comes in Veldentz & Sponheim, inclutum genus, Auguſtæ Germaniæ ſydera, Domini mei Clementiſsimi, vivite, vivite, qui tantum opus tanta cura tantoq; ſtudio dediſtis effectum! Et tu Saxoniæ Domus Illuſtriſsima potentiſsimaq; mihi ſalve, qui

qui Ducali magnificentia ſumptus feciſti, celeberrimos: Academiæ VVitebergenſis Dn: D. Ægidium Hunniū præceptorem meum, Dn: D. Davidem Rungium Affinem meum, profeſſores, & M. Iohannem Fladungum Superintendentē Orlamūdenſem, Theologos prįſtantisſimos nomināſti, Neoburgū ad προβουλεύματα tādemq; ad ipſum Colloquij locū ablegāſti, & nihil nō feciſti, quod ad honorē Dei, Eccleſiæ jubar, Veritatis ſplendorē ſplendidiorem reddendū, facere videretur. Æternus Deus, cujus res acta eſt, omnia hæc beneficia largiſsimè compenſabit.

Dicitur dies. Itur. Saxonici noſtri Theologi viam 23. Octobr. ineunt: Norinbergam magnificentiſsimū illud Germaniæ Emporiū ubi aſſequuntur, excipiuntur à Senatu Populoq; honorificentiſsimè: Vnde progreſsi peracto itinere tandem Neoburgū, ad Danubium, Illuſtrisſimi Principis PHILIPPI LVDOVICI ſedem ſalvi 5. Novembris perveniunt. Quid fit? Vbi hoſtes vident rem ſeriò agere noſtros, et eſſe jam in procinctu, fluctuare incipiūt, & nihil nō movere, quod ad ſuſpendendum vel è medio quoq; tollendū hoc Colloquiū facere poſſet. Iam enim tandē incipiunt quærere, nū ſine conſenſu Romani Imperatoris Colloquiū hoc queat inſtitui? item nū ſalva filiali obedientia id Bavar⁹ ſine Pontificis Romani conſenſu queat? quo in loco Ratisbonę conveniendū? an in domo Epiſcopali? an in Curia? an Theologi noſtri Categoricè & Dialecticè velint diſputare? itē an etiā in lingua Latina? et quib⁹ auditorib⁹? Hæc & id gen⁹ alia obſtacula multa tā ſcrupuloſè cumulāt, ut ſi hoc modo Colloquium inſtās è medio tollere & jugulare poſſent, ſaba omnis tamen in noſtrorū caput, quaſi ij eſſent tergiverſantes, cuderetur. Imprimis quod noſtri initio recuſabant, latino

Acta Neoburgi.

Idiomate cõferre, id tam vehemẽter exacerbabat adverſam partẽ, ut categoricè regereret (nullo interim habito reſpectu graviſsimarũ aliquot rationũ, quas PHILIPPVS LVDOVICVS princeps reddidit, cur potius vernacula lingua quam peregrina agendum eſſet) niſi noſtri in latinam conſentirent linguã eo ipſo jam Colloquiũ in primis herbis conculcandum eſſe. Quid faciant noſtri? ut omnem Calumnijs præciderent nervum, dandum hoc erat. Ratisbonã aſſequuntur 16. Novembis anni elapſi.

Deſcriptio Ratisbonæ.

Eſt autem Ratisbona (ut pleriq; noviſtis) Vrbs imperialis, antiquiſsima, olim Regenepolis à flumine Regenoõ, qui in Danubium in vicinia illic concidit, aut ut alij volunt Reginopolis, ab innumeris comitijs Cęſarum Regum Principum ibidem celebratis dicta, à Tiberio Anguſto circa tempora CHRISTI primum ædificata; firmiſsima Arx & Propugnaculum olim Romanorum contra Germanos; ſedes Epiſcopalis à Carolo Magno inſtituta; Vrbs ædificijs antiquioribus, turri cis Danubium & ponte lapideo, Architectorum certamine decennali, mirificè extructis, officinis ingenioſis, præclaraq; monumentis, ruderibus, Curia, palatijs armamentarijs, Baſilica Cathedrali, Cænobijs & templis, Imaginibus & ſtatuis Imperatorum Caroli Magni & Arnolphi, Regũ multorum, Principum Bavariæ coloratiſsima. Et quod præ omnibus nos literati amamus Bibliothecis, iſtâ, quæ Senatus populiq; Ratisbonenſis eſt, illâ, quæ ad Cathedram pertinet, inſtructiſsima, in quibus præter ea volumina quæ paſsim exſtant, aſſervantur quoq; nonnulli Codices vetuſtiſsimi, qui nondum lucem publicam aſpexêre. Quod non in poſtremis fuit, cur præ cæteris urbibus hæc Conventui Theologico conſecraretur. Sed curia inſtruitur Conſeſſui. Hic Rhodus, hic ſaltus.

In-

Inſtante Colloquio, noſtri in templum Novæ Parochiæ confluunt, & ſacra Deo faciunt. Sub finem Concionis cauſæ Colloquij populo exponuntur, ſuppliciter & ardenter oratur ad Deum, pro felici ſucceſſu. Monachus contra in Cathedrali Baſilica convocat itidem ſuos, invitat, ut ad pulſum campanæ majoris conveniant ad orandum, *non*, inquiens, *precemur ut fidem veram adipiſcamur (quod Hæretici faciunt) habemus eam, tenemus eam, orabimus tamen: Unica noſtra Oratio Dominica plus effecerit, quam ſi Lutherani toto hoc die innumeros pileos precibus confarctos in cœlum emittant.* Sic enim ſannio garriebat, interim tamen fateri cogebatur, noſtros preces ſuas in cœlum emittere. Bene ſe res habet illuc ſi per nubes penetrent. Initium factum eſt Colloquij Die Novembris XVIII. Hora prima pomeridiana. Præſides Colloquij erant hoc Ordine, Incluti Duces quatuor, MAXIMILIANVS Bavarus, PHILIPPVS LVDOVICVS Palatinus Rheni, ALBERTVS Maximiliani frater, VVOLFGANGVS VVILHELMVS Philippi Ludovici filius. Quibus, ſecunda tandem ſeſsione acceſsit GEORGIVS LVDOVICVS Landgravius Leuchtenbergenſis. Tres Pontificij, duo Evangelici. Collocutores ex noſtro cornu conſtituebantur D. Iacobus Heilbrunnerus, Concionator Aulæ Neoburgenſis, & D. Ægidius Hunnius Superintendens, Profeſſor et Paſtor VVitebergenſis. Partis oppoſitæ D. Iacobus Hungerus Procancellarius Academiæ Ingolſtadianæ, & D. Iacobus Gretſerus Profeſſor Academiæ ejusdem. Aſsiſtentes noſtræ parti erant D. David Rungius, D.

Preces publicæ.

Præſides.

Collocutores.

Aſtantes.

Oſiander Abbas Adelbergenſis, M. Bidenbach Concionator Aulæ Stutgardenſis, M. Fladungus Superintendens Orlamundenſis, D. Philippus Heilbrunnerus Profeſſor Gymnaſij Lavingenſis, D. Moroldus Superintendens Haidenenſis Palatinus, M. Agricola, Diaconus Aulæ Neoburgenſis. Partis adverſæ adjuncti D. Antonius VVelſerus Canonicus Freiſingenſis, D. Hanneman Canonicus ibidem, D. Adamus Tannerus & alij Ieſuitæ quam plurimi, quorũ nomina et ignota et obſcura ſunt. Reliquas ſellas ab utraq; parte occupârunt Conſilirij nobiles, alijq; Illuſtriſsimorum Ducum Miniſtri. Non dico auditores reliquos.

Præfatio.

Conſedentibus ita ordine ſingulis ſuo loco, Secretarius Ducis Bavarici, Orationem in lingua vernacula, cur illuc veniſſent, recitat, quid negotij terant manibus, commendat inſtitutum, deflectit ad Colloquentes, monet, ut in Conſpectù Dei & Principum per conſcientiam HOC AGANT (quod Numa in ſacris per præconem inclamari jubebat) in curſu Statũ controverſiæ teneant, non tergiverſentur, nõ evagentur, nõ Sophiſtas, nõ calumniatores agant, & unà cum legib⁹ præfixis ſervent gravitatẽ Theologicam, tanto ſtudio, ut debent ea, de quib⁹ olim in conſpectu tremendi Iudicij Ieſu Chriſto reddenda eſt ratio. Deinde Propoſitio & Leges quibus obſtringuntur recitantur publicè.

His ita demum rectè diſpoſitis, D. Hungerus Ingolſtadianus inſit, & urget noſtros ad Probationem. Quem D. Heilbrunnerus, Oratione ad Principes directa excipit: præfatur: agit gratias: accingit ſe operi, ſed non niſi præmiſsis prius precibus, quas Hungerus turpiter erat oblitus. Formam precationis in hunc uſum peculiariter conceptam recitant noſtri, addunt Hymnũ Veni ſancte

Noſtri orãt.

Spiritus

Spiritus, ſubjiciunt Orationem Dominicam. Dictas preces tanta devotione animi (quam externo geſtu exprimebat) PHILLIPPVS LVDOVICVS Dux juvabat, in cœlum defixis oculis manibusq; altè erectis et complicatis, ut ſpectatorum animi mirifice ad orandum hoc pio ſpectaculo inflammarentur. Finitis his precibus Gieſuitæ à Principe ſuo MAXIMILIANO, non à Deo, ſed à Pr. ſuo MAXIMILIANO (in quo major erat pietas quam in Sacerdotib⁹.) etiam jubentur orare: Gretſerus Enthuſiaſtica ſtatim devotione accenſus proclamat: *Quicunq; verus eſt Catolycus flexis mecũ ſic oret genibus: Veni ſancte Spiritus*: quid tum poſtea? Inter orandum aberrat, titubat, battologus, ita ut inſuſurrationibus & inſpirationibus ſuorum aſtantiũ opus haberet, donec tandem precatiunculam iſtam, quoquo modo poſſet, finiret. Quid videtur vobis auditores, non multũ frequenterq; putandus eſt Gretſerus invocâſſe ad hoc opus Spiritũ ſanctum, quẽ in Salutatione Angelica Ave Maria, (qua nihil rogatur) expeditiorem eſſe facile cõjicio. Notetur & hoc: quod in ſingulis ſeſsionib⁹ noſtri ſemper præmiſerint preces, quas Gieſuitæ contra omiſerunt ſemper, ut audita etiam hæc ſit cujusdam Gehſuitæ vox, Heilbrunnerum nihil amplius poſſe, quam orare. Battologia Gieſuitas.

Si quis autem veſtrûm, Auditores, ex hoc cætu quærat, cur preces vel planè omiſerint vel tam frigidè tractarint hi Baalitæ? an quod Ajaces erant, qui parenti ad preces hortanti reſpõdebat: *Adjuvante Deo etiam ignavos vincere ſolere*: Vel quod idem Homerus aliter: Cur preces omiſerint Gieſuitæ.

φῆ ῥ᾽ ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Dixit & invitis ſuperis fugiam maris æſtum.

Eſſe

Lib. 1. c. 6.

Eſſe hæc quidem aliqua cauſſa poteſt, dicam tamen adhuc aliam. Recitat Laertius, quod, Bias navigans aliquando cum impijs & ſceleroſis hominibus, & in ſumma maris tempeſtate periclitatus, dixerit impijs ſuis comitibus, Deorum opem implorantibus: *Silete non precemini, ne Dij vos nebulones hîc navigare ſentiant: Deus enim impiorum precibus irritatur magis ad vindictam, quam ad opitulandum.* Ejus ſibi conſcij Gieſuitæ, parcendum eſſe procul dubio precibus opinabantur. Atq; ita noſtri Athletæ clypeo precum circumquaq; munitiſsimi, in nomine Domini molem Diſputationis aggrediuntur.

Protocollum.

Non exſpectabitis autē, Auditores, à me, ut ſingula Argumenta nedum quæſtiones & reſponſiones, ſingulatim, hoc ex loco, & hoc tempore, vobis decantem: nam id non unius horæ ſed anni labor eſt. Et quid ego hîc actum agam? ferte patienter moram, donec Protocollum, quod vocant, bona fide à Notarijs juratis exceptum, & ſub ſeris Ducalibus utriusq; partis in ciſta, in medium collocata, benè aſſervatum, in lucem prodeat: id enim meas vices complebit, veſtro deſiderio ſatisfaciet, meisq; his Relationibus ſuccinctis ampliſsimam faciet fidem. Summa ergò rerum capita tantum perſtringam hoc tempore, & annotabo ea imprímis Emblemata, quibus παραδοξότερα & abſurdiora, nec cœlum audijt, nec terra.

Ambitus Colloquij.

Materia circa quā.

Proinde totius Colloquij ambitus quatuordecim Seſsionibus comprehenditur: Quarum Octo noſtris datæ ſunt, qui durantibus ijs, loco Opponentiū fuerunt. Reliquæ ſex Seſsiones (cum ipſi reliquas abrumperent ut poſtea dicemus,) Gieſuitis, ut opponerent contra, ſunt attributæ. Materia Colloquij certis Poſitionibus comprehen-

prehenſa in genere erat: *de Norma doctrinæ & Controverſiarum Religionis Iudice.* Sententia noſtra duodecim Theſib⁹ maximam partem affirmativis comprehenſa, ad ſolam Sacram Scripturam recurrebat. Pontificij unica Antitheſi negabant omnia, Scripturam Traditionibus & Eccleſiæ Definitionibus, Doctorumque conſenſu ſtipatam, eſſe quidem normam ſed non Iudicem omnium Controverſiarū fidei & Religionis Chriſtianę.

Sub primulo autem conflictus hujus initio, non poſſum ſubticere, quid acciderit: Noſtri antequam progrederentur, petebant ſibi explicari theſin Pontificiam (ex lege prius inita de terminis obſcurioribus explicandis) & urgebant Adverſarios, (cum dixiſſent tantum, quis non ſit Iudex, non autem, quis contra) nominatim oſtendi ſibi quis eſſet. Id tam ægrè exprimebatur Gieſuitis, ut prius clavam Herculi quam deſignationem hujus Iudicis extorſiſſes. Noſtri ad excutiendum illum, Divi Petri clavam inpingebant hoſtibus, Epiſt. 1. cap. 3. *Parati eſtote ſemper ad ſatisfactionē omni poſcenti vos rationem de ea, &c.* Reſpondebant nihil aliud, quam quod manifeſtò contra literam & τὸ ῥητὸν erat, *non ſemper id eſſe neceſſarium.* Item: *ſat eſſe ſi Chriſtianus animo paratus ſit edere Confeſſionem:* quod inter Anabaptiſtarum dogmata, Principium eſt. Ita primo congreſſu Gieſuitę ſtatim redditi ſunt Anabaptiſtici. Sed vicit tandem æquitas MAXIMILIANI principis, qui auctoritatem ſuam interponens, juſsit denominari Iudicem, cujus mandatum plus potuit, apud hunc gregem, quam dictum Divi Petri anteà: Nominant ergo Iudicem Pontificem Romanū CLEMENTEM

Quis Iudex Adverſariorum.

Verſ. 15.

D OCTA-

OCTAVVM. Quo nomine dicto capita nudabant, manus complicabant, ſuſpiciebant, admodum reverentialiter. Et ſic impetravimus Iudicem inclementem Clementem.

Noſtri ſalvant Adverſarios.

Reſtabat adhuc aliud *αἴτημα poſtulatum* noſtrorum: petebant enim ſibi Traditiones, ad quas provocaſſent, ſpeciatim deſignari. Quid loquar? an poſtulabant noſtri Traditiones dinumerari et conſignari? ſic eſt. O rem tam actu facilem Pontificijs, quam poſsibile ijſdem eſt, harenam maris ponderare, globum terræ convolvere, Oceanum abſorbere, & Cœli motum reddere ſtatarium. Niſi ergò precariò à noſtris obtinuiſſent, ut hoc Poſtulatum ultrò remiſiſſent, jam eo ipſo Gieſuitæ victi fuiſſent, & colloquium primo coitu finitum. Agnoſcant & commendent hanc æquitatem, et ſingularem noſtrorũ Theologorum clementiam, fraterculi, qua à noſtris, ex mera miſericordia, haud ſecus quam naufragi palantes in mari, portu ſalvati ſunt.

Primũ Argumentũ.

Pergunt noſtri Athletæ, & quicquid pro ſua theſi defendenda effulminant, nõ niſi ex pharetra ipſius Iehovę, quæ ſcriptura ſacroſancta eſt, petunt, qua ſic impetunt et obtundunt Adverſarios, ut vix ſalutaſſe primo limine ſacra Biblia, Reſponſiones ab ipſis datæ, plenis arguant buccis. Et ut videam⁹ in quaſnam ſint redacti anguſtias, auſcultate, quæ & quotnam *ἄτοπα ἀσύςατα* & abſurdiſsima Paradoxa coacti ſint ſtatuere primis duabus Seſsionibus Antagoniſtæ. Cum enim noſtra acies ex ſcripturæ armamentario, Deut. 4. verſ. 2. 12. verſ. 32. Prov. 30. verſ. 5. Ezech. 3. ver. 10. ejacularentur hoc telum: Id tantum eſſe poſſe Iudicẽ, cui nihil addendũ vel detrahẽdum ſit: & Gieſuitæ exciperẽt, nõ omnes additiones ſimpliciter

ter eſſe prohibitas,ex quarum numero Traditiones faciebāt, petebāt noſtri ſibi dari aliquas. Dabant remediū pro Peccato Originali fœmellarum in V. Teſtamento, quæ circumcidi non poterant. In cujus Materiæ velitatione, Sophiſtæ, in tantas redigebantur anguſtias, ut dicerent. 1. *Fœmellas in veteri Teſtamento non potuiſſe ſalvari absq; Circumciſione, Ergo habuiſſe aliud Remedium*. 2. Rogati de hoc Medio, ne veſtigium quidem vel ex Thalmud Iudaico, vel ex patribus, multò minus ex ſcriptura dare poterant, & nihilominus ſtabant his ùerbis: *fœmellas habuiſſe Remedium aliquod.* 3. *Si non habuiſſent tale Remedium, omnes fœmellas, ajebant, fuiſſe damnatas.* Vnde quia tranſiliebatur analogicè ad Baptiſmum, ibi quoq; in quartum impingebant abſurdum, *Infantes omnes ante Baptiſmū decedentes damnatos.* Quintò cum quæreretur, quid ergo ſolatij haberent parentes? nihil aliud reſpondebant quam, *hujusmodi querelas multas penes ſe audiri.* Sextò cum per ἔνστασιν Latronis in Cruce, bona ſpes, de non Baptiſatis per neceſsitatem, inferretur; reſpondebat Gretſerus abſurdiſsimè: *Latronem in cruce privilegio Martyrij ſui fuiſſe ſalvatum, factumq; eſſe Martyrem.* Cujus Theſeos tam puduit poſtero die Autorem ipſum, ut ſecundæ ſeſsionis initio, repingere & reſingere etiam atq; etiā conaretur hoc ſuum pronunciatum: ſed abſurdis abſurdiora, ſavillis flammas adijciebat. Die 19. Novemb.

Exhorreſco referens in unica et quidē prima Seſsione quadrihoraria, tot & tanta potuiſſe á tantis Magiſtris comitti abſona. Sunt profectò admodum expediti ſuis Epicriſis Abſurditatum.

 damno-

damnoſis damnationibus: damnant fœdus Dei, in quo unà fuerunt fœmellæ; faciunt prævaricationem ubi non erat lex: damnant miſeros infantes ante circumciſionem & Baptiſma mortis lege avocatos, contra tritiſsimum Principium, quod nō privatio ſed contemtus Sacramentorum damnet. Et eo ipſo implicitè (quod horrendum eſt) ipſum Prophetam Davidem, qui ſe affuturum dixit

2. Sam. 12. verſ. 23. filiolo ſuo, ante Octavum diem, ſine circumciſione, exſpiranti, damnant. Nam ſi puer damnatorum eſt loco ergo illuc & Propheta David exſpirans migravit. Et quid dicent de Vniverſis Patriarchis, qui ante Circumciſionem vixerunt, an & hi cum familijs ſuis, quia omni Medio deſtituti eſſent, perierunt? Horrendum dictu. Latronem faciunt Martyrem, & ab ipſo Latrone in furca refutantur, qui ſe pati, quod meritus ſit, quiritabatur. Aut ſi Latro hîc Martyr eſt; Martyr erit, quicunq; patitur quod eſt meritus, & per conſequens omnes ſancti Martyres ſcelerū rei peragentur, vel quod omnes fures, latrones, illi prȩſertim qui promeritam mortē patienter ferant, ſanctiſsimi Martyres fuerint cenſendi, ſequetur. Vel denique non Cauſa ſed pœna faciet Martyrium in poſterum. Habes pulcherrimos iſtos Emblematum floſculos, quos prima ſtatim Seſsione ſparſerunt, in ſuavem odorem ſubſequentis ſuæ Doctrinæ, Doctorculi.

Secunda Seſsio. Sequenti die de mane, proponebatur à noſtris locus Eſaiæ 8. verſ. 20. *ad legem & ad teſtimonia, &c.* Cum a. Adverſarij inſuper ablegationem ad Pontifices urgerent, proventum eò eſt, ut evomerent: 1. *Pontifices quando ut Pontifices docerent, non poſſe errare. 2. Omnia eorum decreta fuiſſe pro lege habenda*

3. Cum

3. Cum inciderent in locum, Matth. 23. verſ. 2. *in Cathedra Moſis ſedent*, &c. aliosq; his in ſpeciem oppoſitos de cavendis Phariſæis (ut cavete à fermento Phariſæorū, cavete à Scribis) conſerrent: Reſpondebant Gieſuitæ, *Christum juſſiſſe cavere ſcribas & Phariſæos, tantum ratione morum non ratione Doctrinæ*, ſecus quā extat Matth. 16. verſ. 12. ubi Apoſtoli & Evangeliſtæ expreſſe accipiunt cavendum à doctrina. 4. Statuebant, *ſi ſanè cavendi ſint Phariſæi in doctrina: cavendos, non in ea quam publicè docebant, ſed quam privatim & domi.* 5. Cum ad convincendos errores Pontificum, quod poſsint errare, exemplum Aharonis Idolatriā introducentis in populo Dei, afferretur, ibi grunniebant: *Aharonem faciendo vitulum, non commiſiſſe Idolatriam.* 6. *Caipham dum damnaret Chriſtum, habuiſſe poteſtatem Pontificiam, dicebat unus, negabat alter.* 7. *Aharonem non fuiſſe ſummum Pontificem, ſed Moyſen.* 8. *Fuiſſe in veteri Teſtamento duos ſummos Pontifices, unum cum ſucceſsione Aharonem, alterum Moſen ſine ſucceſſione.* 9. *Aharonem interius fidem retinuiſſe, exterius coactum Idolatriam approbaſſe.* 10. Cum legerentur verba textus, quod feciſſet vitulum, dicebat Gretſerus *fecit, id eſt, Permiſit, permiſit fieri.* 11. Cum inſuper urgeretur textus, *mandavit Aharon præconi ut clamaret; clamavit Aharon; illi ſic contra, permiſit clamare, permiſit clamare.* Quibus eroſis & clamoſis explicationibus, ſic fuit affectum to-

Matth. 16. verſ. 6. Marc. 8. verſ. 15. cap. 12. verſ. 38.

Exod. 32. verſ. 4.

 tum

tum Auditorium, ut publico cachinno exciperet hos nugigerulos.

Vobis quoque, Auditores effuſum hac vice indicerem cachinnum, niſi me dolor animi compeſceret, quod intelligam, tam miſeras & impias lancinationes pati Sacram ſcripturam ab illis Sacrilegis, qui digni erant Anticyras mitti, ut Helleboro purgarentur, ne dicam gravius. Dolendum, Sacroſanctæ noſtræ Scripturæ folia tam fœdis & furacibus unguibus harum Harpyjarum corrumpi, convelli, lacerari.

Tanneri pompa.

Hęc dum ita committuntur ab Hungero, & Gretzero præſertim, ecce nova oritur pompa, non minus viſu quam relatu digna. Conſederat in Pontificijs Subſellijs quidam effrons, ut res poſtea loquebatur, ſcurra, cui nomen erat *Adamo Tennero*, Controverſiarum, ut ferebatur, in Collegio Ieſuitico, quod Monachij eſt, Profeſſor: conſederat is imberbis loco inferiori: qui ægrè ferens tam miſerè Gretſerum circa Aharonem palpitare in tenebris, & nec Vrim nec Thumim, nec Ephod, nec capitium, nec vittam, nec Thuribulum, nec Acerram Sacerdotis reperire, amplius poſſe: ideò varijs adminiculis, arclamatiunculis, ſuſurris, grunnitu ſubvenire ſatagens Gretzero, iſte blatero, haud parum moleſtiæ creabat noſtris Collocutoribus. Non erat iſte Collocutor nominatus, non ſubſcripſerat thematibus, aut Pontificiorum aut noſtris, non juraverat in leges, non erat vocatus, & nihilominus ingerebat ſeſe ad hoc Officium Polypragmon. Noſtri permoleſtum ſibi hoc eſſe publicè querulantes, ut nimirum quilibet Adverſariorum pro libitu in ipſos inveheretur, præſertim cum ita conventum eſſet, ut ex utraque parte bini duntaxat colloquendi munere funge-

ſungerentur. Accuſant hunc Polypragmonem. Quid ad hęc Tannerus? erubuit forte? Depuduerat jam pridē. Redire neſcit, cū perit, pudor, inquit Seneca. Ergo aſſurgit impudens, ægrè fert ſe modeſtè caſtigari, & eruumpit ſtomachabundus in hanc inſolentem vocem: *Dicitis me ab Illuſtriſſimo meo, nō eſſe nominatum, Ego meipſum nominabo.* Quid quæſo, auditores, os impudens eſt, ſi hoc non eſt? non tantum hic ſtellio ſeipſum hoſtibus, ſed & proprijs commilitonibus, de facto anteponebat.

Non eſt ovum ovo, lac lacti ſimilius, quam hic Tannerus tumido illi Elihu, de quo in libro Iobi, cap. 32. legimus: Audierat ille tres viros cum Iobo diu concertantes, nihil proficientes, audierat impatienter: itaq; tandem iratus indignatusq; tam adverſus Iobum, quam adverſus Amicos Iobi, cum quibus tamen Elihu ſtabat, eò quod non inveniſſent reſponſionem rationalem, nec potuiſſent reſpondere Iobo: inſurgit: & in hæc verba Tannero admodum conformia reſolvitur: *Junior ſum tempore, vos autem antiquiores, ſperabam, quod annorum multitudo doceret ſapientiam, ſed ut video, non ſunt longævi ſapientes, nec ſenes intelligunt judicium, ideò dicam, audite me, oſtendam vobis etiam ego meam ſapientiam. Reſpondebo & ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam. Plenus ſum enim ſermonibus & coarctat me Spiritus uteri mei. En venter meus quaſi muſtum absq; ſpiraculo, quod lagunculas novas diſrumpit.* Sic ibi in Colloquio cum

Tannerus eſt Elihu. 11.

Iobo

Iobo Elihu, ſic in hoc Colloquio cum Theologis, reaple Tannerus. Sed ut ut ſe obtruderet, iſta tamen vice nō eſt admiſſus, neq; à Principibus, neq; à Doctoribus utrinq; Diſputantibus. Poſtero die tamen ubi animadverſum eſt, non eſſe hactenus dictos Collocutores, in cornu Pontificio, pares ferundo oneri, D. Hungero Procancellario autoritate Principum imponitur ſilentium, & ſubſtituitur ei alter iſte Elihu Tannerus, qui dicacitate, riſu, ſubſannatione, ſcreatu, levitate, ſophiſmatibus, non Theologum, ſed ſcurram agere, ab omnibus aſtantibus viſus eſt & habitus. Cujus ſcurrilitatem, non moror amplius, itaq; nec quid ſpeciatim egerit in iſta Actorum Parte quando noſtri Opponentium loco erant, recenſeo prolixius.

D. Hunger: excluditur.

Abſurda.

Addo tantum cætera abſurda, in quæ impegerunt Matæologi iſti, quorum ſignifer Tannerus erat: Vt 1. *Chriſtianum hominem intus in corde poſſe fidem retinere, etſi interim ore factisq; abnegat.* 2. *Sententiam Domini quod ego præcipio tibi hoc tantum facito, referendam eſſe ſolummodo ad ea præcepta, quæ tum in præſenti tradebantur populo, non pertinere ad ea quæ ante tradita erant & poſt tradenda.* 3. *Præcepta de non addendo aut detrahendo in præceptis Dei, duntaxat pertinere ad populum Iſraëliticum, non ad Sacerdotes, quatenus ſacerdotes ſint.* 4. *Chriſtum quidem repudiaſſe Phariſæorū Traditiones, ſed non ſacerdotum, idq; in honorem ſacerdotij.* 5. *Pontificem Romanum etiamſi ipſe nihil ſciat, neq; ex alijs quicquam quærat, neq; circa negocia re-*

cia religionis admodum ſit occupatus, in definitione tamen & ſententia finali errare neutiquam poſſe. Sed mitto has aniles fabulas, & gerras ſiculas.

Diſcite vos adoleſcentes, diſcite agnoſcere, *quid diſtent æra lupinis*, quid differat ſimia ab homine, Sapiens à ſtolido, ſophiſta à Philoſopho, ſcurra à Theologo, corpus ab umbra.

Iam converto me ad alteram hujus Colloquij partem, qua Officium Opponendi ſuſtinuerunt Pontificij, ejus initiū fecerunt Seſsione Nona, quę in 24. Novemb. horis matutinis incidebat. De quo Actu hoc generatim præmitto. Cum noſtri non niſi ex ſcriptura omnia ſua fundamenta conſtituiſſent, illi (excepto unico Argumento, quod lubricè & captioſe in Materiam de Antichriſto tandem deſinebat, ut poſtea dicemus) ne ullum quidem Argumentum amplius ex Scripturæ oraculis, ſed quę ex ratione & Scientia Politica potiſsimum petita erant, magno conatu magnas nugas tractando, effutiebant. Quibus in adverſum noſtri Agoniſtæ ſemper Gorgonis caput, Scripturam ſacram, ex qua fundamentum Reſponſionum omnium petebant, obtendebant, ut & argumenta & Argumentantes in ſaxa & ſcopulos, ſcripturæ intuitu planè converterentur: adeò ut cum, quod reclamarent non ſupereſſet, illud unicum reboaret Tannerus, *In forma, in forma.* Noſtri quoties reſpondebant in forma, vel negando Majorem vel Minorem per Inficiationem, vel reſpondendo per Diſtinctionem, vel ex Fallaciarum claſſe, ſolvendo ſophiſma, quam etiā ſtudioſè & Dialecticè id facerent, clamabant tamen illi interim in forma, in forma. Imò verò etſi impingeret ipſe Tannerus in formam Sollogiſticam, atq; in ſecunda

Altera pars Colloquij.

In forma.

ſigura argumētaretur affirmativè, ſeſsione ultima, quod noſtri maniſeſtò arguebant, nihilominus tamen unicum hoc agitabant præconium, non reſponderi *in forma.* Vt certò ſtatuam, vel non ſcire informes Dialecticunculos, quid forma ſit, vel noluiſſe ſcire, vel exploſam voluiſſe habere omnem rerum, de quibus ex Scriptura agebatur, Materiam. Quo pacto jam non agendum fuiſſet illic loci de Scriptura, ſed de forma κατ' ἀφαίρεσιν, quæ eſt:

α eſt ϐ		α eſt ϐ		α eſt ϐ
γ eſt α	vel	γ nō eſt ϐ	vel	α non eſt γ.
Ergo γ eſt ϐ		Ergo γ nō eſt α		Ergo quoddā γ nō eſt ϐ.

Hoc enim eſt nî fallor Gieſuitis in forma diſputâſſe. Aut ſi hoc noluerunt, momordit id unicum Sophiſtas, quod locus non relinqueretur, ſuis Entibus, Entitatibus, Quidditatibus, Hęcceitatibus, Realitatibus, nominalitatibus, formalitatibus, & uno ut dicam verbo, futilitatib⁹ ſcholaſticis. Sed ô fraterculi, hoc nomine non itum erat Ratisbonam.

Vt autem paulò ante, ita nunc quoq; curſim delibabo, quid rerum hac in Colloquij parte actum ſit, ab Opponentibus Gehſuitis. In quinq; Claſſes dividunt ſua Argumenta, quas ne quidem centum Ægyptij, multis phalangis, protrudere poſsint.

Claſſes. 5. Arg.

Ex quo ordine prima claſsis erat, Scripturam non eſſe verum Iudicem omnium Controverſiarum religionis. 2. Scripturam non eſſe unicam normam fidei. 3. Eccleſiam eſſe Iudicem Controverſiarum, abſtrahendo quę vera ſit Eccleſia. 4. Nullum alium quam Eccleſiam Catholicam eſſe Iudicem. 5. Summum Pontificem in Eccleſia Catholica eſſe unicum Iudicem. Hem! non audis hic plauſtra & currus onerarios, ſed claſſes aut Naves Argu-

Argumentorum, quæ ex Alpibus ni ſallor Danubius Ratisbonam præterlabans, advexit.

Sed appulit claſsis, exoneranda eſt. Adeſtè bajuli: adſunt. Primæ claſsis camerinam exhauriunt ſeſsione Nona & Decima. Secundam, ſeſsione Vndecima & Duodecima. Tertiam, ſeſsione Decima tertia & Decima quarta. Quibus exoneratis diſceſſum eſt à labore, ſaburra enim Argumentorum quæ reſtabat, plus juſto erat odioſior, tædioſior, graveolentior, ut poſtmodo dicemus. Atq; ut nonnihil has merces Hiſpanicas Italicasq; colluſtremus, ſeſsione Nona ſic cœpit argumentari Tannerus: *In Republica benè conſtituta neceſſe eſt, ut ſit aliquis Iudex viſibilis, præter legem ſcriptam*, Ergo *multò magis in Eccleſia*. Quod paulò poſt ſic mutavit: *In Republica benè conſtituta, neceſſe eſt, ut ſit aliquis Iudex viſibilis, præter legem ſcriptam*, Ergò *multò magis in Eccleſia, &c.* At hoc eſt quod ego ſentio, Gieſuitæ ex Areopago, è Curia, à foro, ab aulis, veniunt ad Eccleſiã, & viciſsim ex Eccleſia tranſeunt ad Curiam, ut in vita, ſic in philoſophando: Vellem ego ut Venetum decreti eſſent memores, à quibus ſciunt ſeſe ſimpliciter ad Monaſteriorũ clauſtra relegatos eſſe. Hoc ſi fieret, neſcirent illi Monachi quid ageretur in foro. Et quomodo quæſo Mundum deſeruiſſe dici poterunt, qui tam eximiè mũdana & politica ſapiunt? Sed Reſponſum illis rectè eſt, ad hãc Analogiã, aut Anomaliã poti⁹ Regiminis Eccleſiaſtici et Politici. Chriſti regnũ nõ eſſe de hoc Mundo, Ergo nec formã Regni Chriſti Mundiq; coincidere. Sic corruebat ſimul ex eadẽ Dyslogia, ꝗ opponebãt: 1. *Non poſſe alio modo ſentẽtias cognoſci. 2. Non poſſe*

Seſsio Nona.

ſententiam legis explicari. 3. Scripturam non poſſe audire partes litigantes. 4. Non poſſe cogere transgreſſores ad obediendum. Et ſi quæ erant id genus aliæ ſtrophæ, quæ omnes ex una ciſterna Politica ſtillabant.

Hic inter diſcurrendum, dum noſtri Theologi, & Spiritus ſancti Iudicis, per ſcripturam ſententiam dicentis, & ſententiam per pium Magiſtratum, ut cuſtodem legis ſacræ exequentis, faciunt mentionem, multa enormia non Abſurda tantum, ſed & flagitia committuntur à Gehſuitis. Gretſerus enim è ſomno evigilans quaſi, in has Blaſphemias erumpebat: *Omnis Iudex ita debet prodere ſuam ſententiam, ut altera pars evidenter ſciat & audiat ſe eſſe convictum: Hoc Spiritus ſanctus per Scripturam facere non poteſt: Ergo non eſt Iudex.* Minorem ut probaret, proſilit, Codicem Biblicum abjicit in menſam, pulſat manu, geſticulatur, tumultuatur: inquiens: *Ecce controverſia eſt inter me & te, quæritur quis ſit Iudex? ecce hîc ſtamus, in*

Blaſphemia Gretſeri.

» *conſpectu Bibliorum, & contendimus: Adſum,*
» *veniat Spiritus ſanctus, veniat Spiritus ſanctus, Iu-*
» *dex veſter, & judicet me per hanc Scripturam,*
» *condemnet me per hanc Scripturã, ſi poteſt: Dicat,*
» *erras Iacobe Gretſere, tu cecidiſti cauſa, id ſi di-*
» *xerit, ſtatim tranſilio ad veſtrum ſcamnum, ſed nõ*
» *poteſt me judicare S. Sanctus per ſcripturam. Hoc*
» *argumentum*, addebat, *ferreum eſt.* Ficulneum eſſe reſpondebat huic Blaſphemo ori, Dn. D. Hunnius. Sed

eſto

eſto ſit ferreum: Erit erit non nobis, ſed huic Blaſphemo Gretſero ferreum, cujus caput ipſe Autor Sacræ ſcripturæ, quem Blaſpemavit his verbis, percutiet in virga ferrea, & furore ſuo contundet illum. Hac Blaſphemia audita obſtupuerunt planè noſtri, *ſteterunt comæ, vox faucibus hæſit:* non quod vis Argumenti ulla eſſet, ſed quod tam enormis in Deum cōmitteretur Blaſphemia. Regerebatur enim ei, etſi tu nondum agnoſcis Iudicem Spiritum ſanctum in hac Vita, manifeſtè tamen in altera Vita te judicabit. Ille rurſus: *nos quærimus de tali Iudice, qui in hac Vita evidenter judicet, id quod S. Sanctus non facit, faciat hoc & dabo manus.* Ah repudiavit hic amens homo Spiritum ſanctum Iudicem, in quæſtione de Iudice: quis jam poſsit eſſe Iudex? dicat eſſe Pontificem: nonne jam ipſe Iudex de ſeipſo ſtatuet ſententiam? quod abſurdiſsimum eſt. Compreſsit autem tandem Dn. D. Hunnius hoc effrene os, Exemplo Chriſti Ioh. 5. litigantis cum Phariſæis in Religione, & appellantis ad Iudicium ſolius Moyſis in Scriptura loquentis. Moſes eſt, qui vos judicat, etiam cum ipſe filius Dei divina auctoritate potuiſſet decidere controverſias.

Huic quam diximus Blaſphemæ Voci, acceſſerunt alia abſurda de Magiſtratu Politico infinita: Vt: 1. *Populum obligatum eſſe ſequi quamcunq; Magiſtratus ſui ſententiam in re dubia. 2. Niſi id fiat, majorem eſſe populi quam Magiſtratus autoritatem. 3. Probè excuſatum eſſe ſubditum, ſi dicat ego in negocio religionis obtemperavi meo Magiſtratui. 4. Quia ſubditi teneantur in dubio acquieſcere* Abſurda de Magiſtratu Politico.

Magiſtratus ſententiæ, Ergo *multò magis in rebus divinis*. Auditin'? vix evadent hæc poſteriora, quin & ipſa cum prioribus in unũ colligantur Blaſphemiarũ chaos, tam directè in os contradicunt Spiritus ſancti teſtimonijs.

Habemus Nonam Seſsionem, quæ ex Opponentium Adverſariorum parte, prima fuit, tam ferax Abſurditatum Blaſphemiarumq́, ut pientiſsimus Princeps, PHILIPPPVS LVDOVICVS exiens Palatio, converſus ſit ad menſam Gehſuitarum his verbis: *Domini, Domini, durum erit vobis contra ſtimulum calcitrare*. Idem Princeps cum ſequenti die, curru quo unà adjunctum ſibi Dn. D. Hunnium (ut alias ſemper) habebat, ad Curiam rediret, quærebat in via, de Hæretico illo, quem Iohannes Evangeliſta in Balneo conſpectum ſic reformidâſſet, ut ne quidem communi balneo intereſſe voluiſſet: cum Cerinthum fuiſſe recepiſſet, dicebat Princeps inclutus: certè verebar ego heri, ne cum Gieſuita iſtas in S. Sanctum Blaſphemias egurgitaret, nobis omnibus terra dehiſceret. Vox pia Chriſtianiſsimi Principis, cujus pietatis micam non puto in decẽ millibus Gieſuitarum eſſe, qui omnes ex Gallia expulſi ſunt.

Pietas Philippi Ludovici.

Decima Seſsio.

Sequitur Decima Seſsio, in qua perſtabant adhuc Adverſarij, in exoneranda camerina Argumentorũ primæ claſsis, quæ non erant majoris ponderis, quam antecedentia. Oggannicbant: *Iudicem debere poſſe dirimere omnes controverſias, quæ orirentur circa negotium Religionis: quod cum Sacra Scriptura facere non valeat, non poſſe ob id eſſe Iudicem*. Probationis loco inferebant quæſtionem *de celebrando Feſto Paſchates*

ſchatos in Synodo Nicæna decilam: Item quæſtionem *de perpetua Virginitate Mariæ: De Evangelio Nicodemi, non eſſe Nicodemi:* Item, *quia Hæretici omnes ad S. Scripturam provocarent, ideò non poſſe dici Iudicem.* Miramini, Auditores, ſat ſcio tam fragiles agiles et aqueas, ab his bullatis et bulloſis Doctorib', argumentorum bullas, quæ vix nictum oculi ſuſtinere poſſunt objectas eſſe. Deum bonum, *tantam rem tam negligenter agere?*

Sed non eſt meum, jam de rebus ipſis agere, de quib' illic actum eſt ſatis. Attendite modò quid obiter inciderit. Ingeminabat, interloquendo Agyrta Tannerus, illud ſuum, *In forma, In forma.* Quocirca Dn. D. Hunnius Principes appallabat, ut imponerent clamori huic ſilentium. Provocat Gieſuita ad leges Colloquij; leguntur; inter quas quia ſecunda & ſeptima expreſſe prohibebat, ne una pars alterius Reſponſiones interrumperet, totum Auditorium Scurram, provocantem ad legem, & proprio gladio jugulatum effusè cepit irridere. Hic applauſus non fuit infrequens, quo Gieſuitæ tractabantur, ut meriti erant. Abſurdum quod obiter inſerebant, hoc erat: *Phariſæos per ſcripta Moſaica non ſufficienter fuiſſe damnatos:* Et: *ne quidem ullam Hæreſin ſufficienter ex Scriptura vel damnatam eſſe, vel damnari poſſe.* Vera loquor, ut acta ſunt.

Tannerus violat leges.

Sic abſoluta prima Argumentorũ claſſe progrediebantur ad ſecundam. In qua Seſsione ſemel tandem ab hoſtibus oppoſitum eſt unum S. Scripturæ dictũm, quod auditum eſt ex 1. Theſſ. 2. verſ. 13. *Quoniam cum accepiſſe-*

Vnicũ Argumẽtum ex Script.

accepiſſetis illud, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, qui operatur in vobis, &c. Eho quantos dant ſtrepitus, cum in Scripturæ textum ingruunt. Ad hoc dictum, cum Antiſtes noſter, verba ex 2. ad Theſſ. 2. verſ. 2. aſciſceret, monſtraretq́ue, quomodo Apoſtolus hiſce verbis, quæ allegato loco extant, (*non moveamini neq́ue per ſpiritum neq́ue per ſermonem, neq́ue per Epiſtolam*) Theſſalonicenſes abſtraxiſſet ab illa opinione Traditionum, inter quas etiam erat hæc de die extremo, paulò poſt futuro, divulgata: delabitur inde Tannerus ad quæſtionem de extremo Iudicio, *quod tempus extremi Iudicij, non manifeſtâſſet Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcripto, ſed per Traditionem.* Ergo *eſſe quaſdam Traditiones extra verbum.* Vbi contra Dn. D. Hunnius porrò perſequitur textũ ejusdem capitis, & manifeſtè falſitatis convincit Antagoniſtam, cum in illo ipſo capite, deſignetur, Extremum Iudicium, non quidem præciſe, quoad temporis circumſtantiam, (quod ſcire, noſtra non intereſt) ſed quantum ſufficit ad Articulum fidei. Hinc ut anguilla, ex circumſtantia temporis præceſſuri extremũ Iudicium, ad quæſtionem de Antichriſto, quæ eodem ſtatim ſubſequitur capite, divertitur: An poſſit ex iſthoc capite colligi, quod Antichriſtus venturus ſit finito imperio Romano? Vnde ſubnaſcebatur occaſio, deciſionem petendi ex Daniele de Monarchijs, & quidem de Translatione Imperij Romani, & an venerit Antichriſtus? Lis enim litem parit. Ex quibus poſtea Gieſuitæ talem nectebant Syllogiſmum: *Fidelibus credendum eſt,*

eſt, tanquam Dogma, veniſſe Antichriſtum, ut vos dicitis: Sed hoc dogma non extat in Scriptura, nec evidenter inde deduci poteſt: Ergo *patet quod aliquod Dogma credendum ſit, quod in ſcripturis non extat.* Qua de re cum nonnihil velitarentur, interpellabat Colloquentes Hungerus in hunc ſenſum: *Si volumus illam diſputationem ingredi de Antichriſto num venerit, ſtatim habemus in præſenti Capitulo ad Theſſalonicenſes, quod Antichriſtus ſeſe debeat ſupra ipſum collocare Deum: quis autem unquam hoc fecit, aut quis jam ſupra Deum ſe extollit?* cui occurrebat Hunnius noſter, iſto planè modo, & ijſdē verbis, quibus idem hoc Argumentum ſolvit, in libello ſuo, de Eccleſia: *Non putandum eſſe, ullum hominū tam eſſe dementē, qui dicat, doceat, Ecce ego ſum major quam ipſe Deus: quia hoc modo Antichriſtus ne unum quidem eſſet habiturus Diſcipulum.* Mihi pag. 340.

Quod autem hæc Circumſtantia impleta ſit, hoc Argumento patere dicebat: *Qui mandata ſua extollit ſupra ipſius Dei mandata, is extollit ſe ſupra ipſum Deum: Iam verò Pontifex Romanus extollit ſua mandata ſupra ipſius Dei mandata. Ergo, &c.* Argumentū noſtrorum de Antichriſto.

Vrebat quidem Argumentum hoc Gieſuitam, ſed nihil tamen tota Seſsione, vel duriter vel molliter, ad rem ipſam reſpondebatur, niſi quod Hungerus obmurmuraret: *In Scholis non eſſemus tam patientes.* Credo: nec in Hiſpania, nec in Italia. Gratia habenda latronib⁹,

F quod

quod non occidant, quod non injuriam faciant. Sed Tannerus abrumpens hunc ſermonem, dicebat, non eſſe jam agendum de hoc Articulo. Vnde ſtatim acquieſcens Dn. D. Hunnius reſpondebat: *Quia nō vultis noſtras Reſponſiones, ideò reſervabo eas ad ultimū membrum veſtræ Diſtinctionis.* Hæc ideò explicatius & plenius narravi, quia hinc captârunt poſtea Geſuitæ occaſionem abrumpendi Colloquium. Quæ tamē hac vice ſatis placidè inter Colloquentes tractabantur utrinque.

Et ita reditum eſt ad Traditiones: de quibus dum ageretur, Gieſuita ſub finem hujus Seſsionis, inter cætera ſtatuebat hoc abſurdum: cum quærerent ex eo, an ipſe haberet Articulum fidei, cujus cognitione carere poſſet Eccleſia? reſpondebat blatero: *Imò centum dari Articulos fidei, qui nō ſint cogniti. Exempli g. addebat: quod Tobias Canē ſecū duxerit, qui caudā moverit.* Quo Exemplo, ceu lepido Corallario exornabat finem hujus Seſsionis, ut cum magno riſu dimitterentur auditores, qui nunc novum fidei Articulum, de Cane Tobiæ inſuper didiciſſent. Et ſic facti ſunt Gieſuitæ Cynici.

Canis Tobiæ eſt in Articulis fidei.

Sequitur Seſsio Duodecima, quæ non minus quam præcedentes, prægnans eſt abſonorum Paradoxorū, quæ hinc trahebant originem, quod Gieſuitæ Pœdobaptiſmum non verè ex Scriptura, ſed ex Traditione rectius aſtrui poſſe, venditabant: Item nec id conſtare ex Scriptura, an ab Hæreticis baptizati rebaptiſandi ſint, nec ne. Hoc dum agunt committunt Paradoxon primum, *non poſſe Analogiam Circumciſionis ex Scriptura oſtendi*, contra manifeſtum textum, Coloſſ. 2. verſ. 11.

Seſſ. Duodecima. 25. Novemb.

Deinde

Deinde parvulos in baptiſmo non habere fidem. 3. Quod parvuli non credant, inde probari, *quod reluctentur in Baptiſmo omnibus viribus, manibus & pedibus verbi miniſtro baptiſanti. 4. Cum nemo reminiſcatur fidei, quam habuerit in infantia, ergo nec habuiſſe. 5. Cum homines dividuntur in διχοτομίαν ſalvandorũ & damnandorum, id ſonare tantũ de adultis non etiam de infantibus, cum ipſi non potuerint Chriſtum eſurientem paſcere & ſitientem potare ut eſt.* Mat. 25. ℣. 35. 6. Dictũ ad Hebr. 11. ℣. 6. Impoſsibile eſt ſine fide placere Deo, *id de adultis tantum accipiendum eſſe. 7. Neminem ſcire poſſe an ſit baptizatus, & an rectè.* Refutationem non addo; nam ut cum *Athanaſio* loquar, *hæc nudis verbis tantum deſcripſi, ut qui ſolum audiat fœditatem illorũ & impietatem, ſtatim animadvertat. Quæ enim ita manifeſtò perverſa ſunt, ea curioſius tractare non oportet, ne contentioſis hominibus ambigua videantur, ſed tantummodo ad ea reſpondendum eſt, ſufficit quod ea non agnoſcat Catholica Eccleſia, quodq; non ſenſerint ita patres noſtri, &c.* Sic Athanaſius. Deniq; eo ipſo tempore prodebat ſeſe inſcitia Tanneri, qui ad tria ſimul Argumenta de Baptiſmo propoſita ſimpliciter reſpondere nõ potuit: 1. Erat, Baptiſmum non pendere ab Intentione adminiſtrantis, cum & Zepora adminiſtrârit circumciſionem ſine Intentione, dicebat enim Sponſus ſanguinum mihi es Exo. 4. verſ. 25.

Ad Epictetum mihi pag. 455.

Tannerus obmuteſcit.

Secundum erat ex Epiſtola ad Gal.3.ver.27. ubi ſine ulla diſcretione omnis Baptiſmus etiam Hæreticorum dicatur eſſe ratus apud Deum. Tertium erat, quod Chriſtus Phariſæorum miniſterium, licet fuerint profligatiſsimi, ratum tamen habuerit. Ad quæ Argumenta Tannerus ne gry quidem potuit reſpondere, quod Dn. D. Hunnius conſignari diligenter petivit à Notarijs. Quid vulgus?

Horatius. *Vulgus utroq; ſimul laudabat pollice ludum.*

Addo & hoc. Dum invicem altercarentur de Pœdobaptiſmo, & Gehſuita partes Anabaptiſticas in uſum Traditionum ſibi ſumeret agendas; *præcipi à Chriſto*
Matth. 28. verſ. 19. *docendas eſſe prius gentes, deinde Baptizandas, etc.* reſpondebatur ex textu Græco per verbum μαθητεύσατε quod generale eſt, ſignificans diſcipulos facere, id quod tam baptizando quam dicendo fiat. *De qua reſpon-*
Pag. 232. *ſione pluribus videatur libellus Hunnij de Baptiſmo.* Tunc Gieſuita, ut videretur Græculus eſſe, regerebat, multo coccyſmo: *etſi non inveniretur verbum*
Tannerus græciſat. διδάσκατε, διδάσκατε *inquam etſi nō legeretur, ſe reſpondere tamen velle, &c.* Qua unica vocula, prodidit, ſe non Græculum ſed graculum eſſe: quibus aſtans Poëta quidā laureatus Balduin⁹, hoc gratulabatur Epigrāmate:

Jam nova Grammaticis vis facta, διδάσκατε dicit,
Peccat & IN FORMA tam gravis ille pater.
Dico διδάσκατε dico διδάσκατε ſæpius infit,
Hic tantus Doctor, nec tamen erubuit.
O bone! quis Iudex fuerit? Sanctiſsime Clemens
Si pote, Grammaticam Theologo affer opem.

Ex-

Exceſſit auxilium, cunctas componere lites
Papa poteſt, iſti non ſatis eſſe poteſt.

Lepidè, bellè pulchrè.

Nunc reſtant duæ ultimæ decima tertia, & decima quarta Seſsiones, in quibus tractabantur Argumenta tertiæ claſsis. In Penultima harum novo ſtratagemate uti cæperunt Adverſarij. Invehitur Tannerus convicijs in noſtros Theologos, nominat eos aliquoties *verſipelles*, qui hunc ſibi unicum ſcopum haberent præfixum, *fallere; ac ſuis Principibus fumos vendere.* Id contra Colloquij leges propriamq́;, ſiqua eſt, Conſcientiam, fecit Maſtigia. Quapropter cum id non diſputare eſſet ſed conviciari, noſtri Theologi conqueruntur ea de re, è veſtigio, apud præſentes Principes: accipiunt à Maximiliano Bavariæ principe hoc reſponſum: *Appellâſtis Seſsione undecima etiam vos Pontificem noſtrum Antichriſtum, quæ inſignis et clariſsima eſt injuria, quæ redundat in omnes Catholicos.* Cui etſi Dn. D. Hunnius rectè reſpondebat Scapham eſſe Scapham dicendam, ligonem ligonem, neq́; hoc fieri cum injuria, ſed cum Argumentis, tamen in ſua declaratione viſus eſt perſiſtere Princeps.

Sed heroico planè animo vicerunt Theologi noſtri has & id genus alias moleſtias. Pergitur in Curſu Diſputationis, iſthoc ipſo die tam antemeridianis quam pomeridianis horis: in quas poſteriores ultima Seſsio incidebat. Erat enim hæc ultima, contra omnium ſpem & exſpectationem. Nam exorto die 29. Novemb. in quem Feſtum Nativitatis Dominicæ juxta Stylum Gregoria-

Seſsiones 13. & 14. ultima.

Renunciũ Colloquij. num incidebat, manc hora Octava Maximilianus Bavariæ Dux, miſſis ad Philippum Ludovicum Palatinum, legatis duobus, Domino Ioachimo Donſpergero, Cancellario Monacenſi, et Dn. Iohañe Georgio à Fraunberg, Vicedomino in Landshuet, pręmiſsis præmittẽdis ſignificari curat, *Colloquio hic finem faciundum eſſe.* Qui ſic? *quia Romanum Pontificem Theologi noſtri appellaſſent Antichriſtum. Iam ſi reliquæ Argumentorum claſſes, quæ directè de Iudice Pontifice contendunt, tractandæ eſſent, metuendum fore, ne noſtri Theologi ejusdem generis dentatis Epithetis ipſum Pontificẽ ſint oneraturi.* Huic cauſſę accedebat altera: nimirum; *Principem Mantuæ præſtolari adventum Serenitatis ipſius Monachij, ideoq́; maturandum diſceſſum. Cætera ſcriptis poſſe expediri.* Quod nuncium quam erat inexſpectatum, tam frigidum erat, itaq; etiam Illuſtriſsimus Palatinus Philippus Ludovicus, ad ſingula ita reſpondit, ut Legatos nihil dixiſſe, ad oculum cuſvis conſtaret. Sed laterem lavabant noſtri. Conſtitutũ erat omnino Gieſuitis Colloquium abrumpere. De ipſorum enim ludebatur corio.

Gieſuitæ fugitivi. Agedum ubi nunc ô fugitivi, anim⁹ eſt veſter Gigantæus, quo invitaſtis primum noſtros advenire Ratisbonam, cum hæc verba in literis veſtris ad Philippũ Ludovicum, legerentur; Veniant Lutherani ſi viri ſunt, veniant, ſi unum nobis objecerint Syllogiſmum in Bocardo, nos alapam infringemus, & dicemus eſſe in Bocallo. Adeſte ergo, adeſte jam, ſtate, macti ſitis, ibi ſunt alapæ ubi eſt veſtrum Bocallo, ubi ſunt jejunus Hungerus, Gracu-

Graculus Gretſerus, tinnulus Tannerus: ſtate ῥιψάσπιδες, decet vos ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τὰς, *ut dicebat Lacana, cum filio Clypeum traderet, maternè monens, aut referendum Clypeum, aut ſuper eo moriendum*: Sed exceſſerunt, evaſerunt, eruperunt, niſi quod unus aut alter poſt carecta latens, ſic exſibilet: *Nominâſtis Pontificem Romanum Antichriſtum.* Me Chriſte, ſi ad ullum Argumentum hactenus propoſitum, regerendum erat illud Tanneri, *in forma, in forma*: hoc unicum tale præ omnibus eſt. Nam quæ Forma, quæ Conſequentia? *Lutherani ante triduum Pontificem nominarunt Antichriſtum: Ergo Colloquium Ratisbonenſe (non in continenti) ſed triduo poſt abrumpendum eſt.* In forma, in forma reclamo. O res pudenda, cujus ipſum Pontificem, ſi Gieſuitarum Ordinem tueri velit amplius, pudeat in omne ævum. Si Gretſerus adhuc perſtet quærere, an Spiritus ſanctus prodierit, an evidenter judicârit cauſam in his terris, agnoſcat hîc judicium tam illuſtre in ſe & complices ſuos ſtatutum, quod ſi nondum agnoſcat, oportet illum quavis talpa eſſe cæciorem.

Et hic vates ſibi ipſi fuit Hunnius noſter. In theſibus enim ſuis de Colloquio cum Gieſuitis inſtituendo, quinque menſibus antè VVitebergæ affixis, inter cætera hoc ipſum dilucidis verbis exceperat; abſtinendū omninò eſſe à convicijs; ſi autem, inquit, diſputetur de Primatu Pontificis, & à noſtris dicatur, eum primatum quem hodiè ſibi vendicat & uſurpat Pontifex, teſte & indice Paulo

Hunniu[s] vates. Theſi 14

» Paulo 2. Theſſ. 2. à Diabolo introductum, & eſſe notam
» Antichriſti: hic quiſq; intelligit, quando Apoſtolum
» imitati, vi allegationis itidem ſic nominamus, pro con-
» vicio haberi nullo Iure poſſe. Sic ille. Age ſurge Gretſere, tecum enim mihi jam res eſt: reſponde: Vidiſſe & legiſſe te has Theſes in publica & prima dicebas ſeſsione: Imò petebas à noſtris, iſtas harũ Theſium conditiones, è quarum numero hæc Octava erat, ſervari. Cur ergò jam tandem diplicuit, quod ſemel placuit? quid reſpondes? certum eſt Gieſuitas ſingulari ſtudio abrupiſſe hoc Colloquium, ſine ulla noſtrorum culpa, tantum quod metuerint, ſibi de Capite Papali, Davidis dextera amputando. Poſſem id probatum reddere eo, quod certò mihi relatum eſt, Carmelitanum Monachum Roma veniſſe & Pontificia autoritate diſſecuiſſe telam Diſputationis, ne forte, tam robuſta noſtri ducerent ſtamina, quibus reticulum verbi divini circumdarent conſcientijs nonnullorum, quos manumiſſos nollet libenter Pontifex.

Gieſuitas fugitivos eſſe XI. rationibus probatur.

Sed negabunt id, ut ſunt impudentes. Vtar ergo alijs omni exceptione majoribus rationibus, ex quibus facile erit collectu, terga dediſſe Sophiſtas Diſputationi.

I. Principio enim perpendite mecum, an non ſit quæſtio Dogmatica fidei, num Antichriſtus venerit, nec ne? Item quomodo intelligenda ſint Pauli verba 2. Theſſ. 2. ver. 4.? *Extollet ſe ſuper omne numen.* Et an id Papa faciat nec ne? Eſt ſanè. Si ergo quæſtio Dogmatica fidei eſt, controverſa inter nos & Pontificios, an non agitanda, tum maximè cum eo nomine conventum erat? Et cum de Antichriſto Gieſuitæ ipſi propoſuiſſent? Imò cum in Propoſitione totius Colloquij, initio Secretarius Principum Bavariæ, inter cætera, liberam feciſſet utriq; parti pote-

poteſtatem, reſpectivè ea quæ ad Controverſiam facerent, liberè, intrepidè, publicè & impugnandi & defendendi? Idq; maximè cum ibi ſtarent in ἀγμῇ Confeſsionis. Deinde attendendum & hoc: noſtros non inconſideratè hanc vocem emiſiſſe, ut ſolent ij qui conviciandi animum habent: Veſter Papa eſt Antichriſtus: Sed conclusionem hanc Syllogiſmo incluſam protuliſſe, ut paulò ante narravimus. Cur non reſpondebat Antagoniſta *in forma?* Præterea cogitate & hoc: quod ipſi Gieſuitæ ſtudioſa ἀπαγωγῇ abduxerint noſtros in hanc Materiam. Dices, non paſsi fuiſſent ſe abduci? Reſ. ingenuos Theologos non decebat ullum religionis caput controverſum declinare: ſequebantur igitur ductum hoſtium, quocunq; irent, & ultrò & infractè. Porrò ſi agnoverunt Syllogiſmo noſtro injuriam ſibi fieri Adverſarij, cur non in continenti, injuriam retorſerunt? cur triduò poſt reponunt demum hanc cramben? Quintò Nonne D. Hungerus Procancellarius teſtatus eſt de patientia ſua & Aſsidentium, qui prolato noſtro Argumento id jam patienter ferre ſe ajebat, quod in Scholis facturi non eſſent. Ergone triduò poſt ebullijt demum impatientia? Eſt & hoc admodum jejunum, quod prætendebant metuendû eſſe, ne eadem Epitheta, ſi reliqua de ipſo Pontifice Iudice perſequenda eſſent, noſtri deinceps reiterarent. Quoſnam hîc hariolos audio? an illi futurorum Contingentium habent determinatam veritatem? ſi tam certò poſſunt hariolari, cur & antea idem illis non ſubolet? Item quomodo fidem ſuam liberare poſſunt Gieſuitæ, qui undecima Seſsione ſuſpendentes hanc de Antichriſto materiam, fecerunt promiſsionem de ſequentibus quintę claſsis argumentis? Adde, an hoc delicatulis his aurib9 inau-

II. III. IIII. V. VI. VII. VIII.

inauditum novum inexſpectatumq; eſſe putes, Papam Antichriſtum dici? qui non millies, ſed centies millies arbitror, à plurimis tam Antiquioribus quam recentioribus teſtibus, Imperatoribus, Regibus, Epiſcopis, Patribus & nullius non conditionis pijs Viris Antichriſtus &
IX. nominatus & demonſtratus eſt. Fuit ergo Gieſuitis hoc telum prævíſum vel non prævíſum: ſi non prævíſum, cur imparati venerunt ad pugnam? cur, non lectis noſtrorum libris, cœci judicant de Coloribus? Sin dicant
X. prævíſum, cur tantopere telum prævíſum ferijt? Inſuper hoc attende: juſſerat Dux Bavarus cum renuncium mitteret Colloquio, ſignificari Philippo Ludovico, *cætera quæ reſtarent Scriptis poſſe expediri.* Atqui verò quæ reſtabant de Antichriſto contra Pontificem erant. Hocne ergo liberum eſt ſcriptis expedire quod ore nō licet? an calamo Papam Antichriſtum declarare licet, non autē lingua? An licet alibi, modo ne Principes Viri
XI. Demōſtrationes audiant? Hoc illud eſt ꝙ Gieſuitę cavēt. Inſuper ſi tam impatientes ſunt hujus vocis, cur non caverunt initio expreſſa Colloquij lege, ne quis ullum gry aut My de Antichriſto ederet? Deniq; quid reſpondebunt, ſi dicat aliquis contra legem Colloquij ultimam, peccatum eſſe & abruptum Colloquium? ſic enim illa: Neutra pars privato arbitrio conetur abrumpere Colloquium: Sed eò poti⁹ elaboret VTRAQ;, ut PROPOSITVM THEMA de norma fidei, & judice Cōtroverſiarum CVNCTIS SVIS PATRIBVS excutiatur & illuſtretur, atq; ſic Colloquio non niſi voluntate Principum ſuprema manus imponatur.

O inſenſati, ô ἀυτοκατάκριτοι! Dicam quod res eſt. Fugitivi Gieſuitæ voluerunt, quocunq; etiam colore ἐκπερδικίσαι, ut loquitur Ariſtophanes, h.e. perdicum arte in-

te ingenioq; elabi, de quibus Ariſtoteles refert, quod non eodem loco ubi pariunt etiam incubent ova, ne quis animadvertat, ſi diutius eodem aſsideant loco. Excluſiſſent enim ovo Baſiliſcum, ſi incubâſſent diutius. 9. de Natu[ra] Animal.

Ergone autem ſine fructu omnia? Ergone oleum & opera hujus Colloquij perdita? Minimè gentium. Nam quod Athenienſes Philoſophi colloquium cum Paulo de Reſurrectione Mortuorum partim ſannis, partim rejectione in aliud tempus, finiverunt, an ob id ſine fructu omnia? Quis ſic ſentiat? Gieſuitas enim in reprobũ ſenſum datos revocare in viã, nec ſpes, nec mens, nec conſilium erat inſtituti. Satis erat confundi Sophiſtas: Satius patefieri ruditatem hoſtium in Scriptura: Optimum confirmari animos noſtrorum tum Docentium tum Diſcentium in agnita ſemel veritate. Et quid multis? ſingularis fructus hujus Colloquij eſt, quod demonſtratum ſit, Gieſuitas malos Grammaticos, malos Logicos, & peſsimos Theologos eſſe. Fructus Colloqui[j]. Act. 17. verſ. 32.

Quos fructus cum ubertim pepererit hic Convent⁹, nihil reſtat aliud quã ut elatis in cœlum oculis animisq; Deo, pro Curſu hujus Colloquij tam ſaluberrimo ingentes agamus gratias: Sic ergo mecum precemini: Gratiaru[m] actio.

OMnipotens æterne DEVS, cæleſtis ſervator, Veritatis fons & ſcaturigo, tibi devota mente & ex imis viſceribus æternas ſolvimus gratias, quod noſtras preces exaudiveris, Conventui Ratisbonenſi adfueris, noſtrorum dicta & facta paternè gubernaveris ad Veritatem illuſtrandam, & gloriam tuam deco-

randum. Te Domine Chriſte Ieſu ſervator noſter ſupplice corde rogamus, ut nos in Veritate tua ſanctifices, & totius Pomeraniæ oras, quas etiam hæ locuſtæ involare & carpere ſatagunt, clementer tueare, ut ſub Illuſtriſsimi Principis ac Domini noſtri Ducis BARNIMI, Ducis Stetini Pomeraniæ, Caſſubiorum Vandalorumq; Domini, Principis Rugiæ, &c. Dn. n. Clementiſsimi; alis & Patrocinio, te protectore ter optimo, te gubernatore ter maximo, in Eccleſijs, Aulis, Scholis, domi, foris, tam æterna quam temporali fruamur tranquillitate.

Pſalm. 58. verſ. 7. Deus contere dentes eorum in ore ipſorum, mo-
Pſalm. 55. verſ. 16. las leonum confringe Domine: quoniam
nequitiæ in habitaculis eorum
in medio eorum.

Sedibus à noſtris DEus hanc avertito peſtem.

DIXI.

Epigrammata in Orationem

DN. DANIELIS CRAMERI D.

de Colloquio Ratiſbonenſi.

COlloquiũ memoras, Victoribus accinis, hoſtes
Terga fugę dantes, Docte Cramere, notas.
Colloquium; quod Celſæ aures, quod Regiopyrgus
Audĳt, huc vexit quod Ratis illa Bona.
Victores; Heilbrunnerũ, invictumq́ DAVIDEM,
Hunnium, ut eſt meritus, Vivida palma beat.
Hoſtes; queîs Ieſus, non Chriſtus, ſed Bar-Ieſu
Pſeudopropheta dedit nomen & omen amen.
Quos orare pudet, græcè piget eſſe locutos,
Pænitet accinctos, ſuccubuiſſe dolet.
Quos neq; Tobĳæ canis, aut blaſphemia Sacri
Flaminis, at turpis proh fuga ſola juvat.
Eſurit Hungerus; Gretzerum Spiritus urget,
Quem negat; & Tanner Lexica Græca ſitit.
Sicnè DEus Ventres tumidos dimiſit inanes?
Sic eſt; ſic factum, Docte Cramere, refers.
Et rectè: Quis enim tanta hæc reticenda putabit?
Non vicit, cujus prælia nemo canit.

M. Ioachimus Prætorius Profeſſor
& Archidiaconus Eccleſiæ &
Pædagogĳ Stetinenſis.

ALIVD.

ALIVD.

Perdiderant claſſes navales ſæpe SVITÆ,
Conſilium, arma, rates, carbaſa perdiderant.
Nunc Argumentûm quoq; claſſes quinq; fatigant
Fruſtra, atq; in ſcopulos naufraga turba ruunt.
Sis in litterulis & littore, turpe vagantur,
Et cum litterulis littora curva legunt.
Diſcite Pontifici & ponto diffidere deinceps:
Nulla eſt & ponto Pontificiq; fides.

M. Chriſtophorus Butelius, Rector
Pædagogij Stetinenſis.

ALIVD.

Colloquij recitas RATISBONENSIS ut acta,
Inter honorandos vir reverende viros;
Omnia quam docto dicuntur acumine! cuncta
Ingenij quantâ dexteritate fluunt!

Arguis